

signantem dies; tum in eodem orbe in XII partes distributo, quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime servantes, disparibus inter se motibus, nocturnamque cæli formam undique sideribus ornatam; tum globum terræ eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco, duabus oris distantibus habitabilem, et cultum: quarum altera, quam nos incolimus,

Sub axe posita ad stellas septem, unde horrifer

Aquilonis stridor gelidas molitur nives:

altera Australis, ignota nobis, quam vocant Graeci ἀντιχόοντα: ceteras partes incultas, quod aut frigore rigeant, aut urantur calore: hic autem, ubi habitamus, non intermittit suo tempore

Cælum nitescere, arbores frondescere,

Vites lætificæ pampinis pubescere,

Rami baccarum ubertate incurvescere,

Segetes largiri fruges, florere omnia,

Fontes scatere, herbis prata convestirier :

tum multitudinem pecudum, partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda: hominemque ipsum quasi contemplatorem cœli ac deorum, ipsorumque cultorem; atque hominis utilitati agros omnes et maria parentia. Hæc igitur, et alia innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare, quin his præsit aliquis vel effector, si hæc nata sunt, ut Platonii videtur; vel, si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneric? Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides: tamen ut Deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum et inventione, et celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnosco.

In quo igitur loco est? Credo equidem in capite: et, cur credam, afferre possum; sed alias. Nunc ubi sit animus, certe quidem in te est. Quæ est ei natura? Propria, puto, et sua. Sed fac igneam, fac spirabilem: nihil ad id, de quo